

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI REGIS HISPANIARVM AD VICVM Turnhoutum in Brabantia IX. calend. Februarij, anno a Christo nato M. D. XCVII. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Nassouij, auspicijsq; Illustrissimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.





ANNO M. D. XCVII.

DE CLADE EXERCITVS PHILIPPI *Regis Hispaniarum ad vicum Tournhoutũ in Brabantia 9. calend. Februarij, anno a Christo nato 1597. Claraq; victoria obtenta ductu Illustris Principis Mauritij Naßouij, auspicijsq; Illustrißimorum Ordinum generalium confœderatarum provinciarum Belgij vera Narratio.*



CVm ex varijs nuncijs comperisset Illustris Princeps Mauritius Nassouius Illustrissimum Cardinalem Albertum Archiducem Austriæ, gubernatorem generalem Philippi Regis Hispaniarum destinasse siue astu clandestinisque consilijs, siue aperto marte hoc hiberno tẽpore aggredi rem magnã, noxiamq; prouincijs vnitis, eamq; ob causam Tournhouti locasse exercitum ad quatuor millium peditum equitumque: Nempe agmen siue regimentũ Neapolitanorum constans ex tribus cohortibus, in quo erant veterani Centuriones, Signiferi alijq; Officiales præcipui variorum signorum antea exautoratorum plus minus quingenti: Item regimentum vnum Germanorum Tribuno Comite Sultensi, Tertium & quartũ VValonũ quę Barlotus & Hachicourtius Tribuni nuper compleuerant ex nouis delectibus, in locũ eorum qui in Hulstensi obsidione oppetiere, & quinque Turmas equitum sub præfectis Nicolao Baste, Ioanne Cordua, Alfonso Dragone, Grobendonck & Gonsmanno, quarum singulę efficiebant circiter septuaginta quinque equites, cui exercitui preerat Comes Varaxius dominus de Balanchon, destinatis eôdem alijs insuper copijs Hispanorum aliarumq; nationum, cum commeatu, instrumentisq; ad magnũ belli opus necessarijs. Illustris inquam Princeps Mauritius Nassouius, diu multumque animo voluens quopacto infringeret hostiũ conatus quam maximo Reipub. bono, securitate, atque tuitione Regionum, oppidorum ac ciuium sub ipsius Regimine constitutorum: circa quam deliberationem multę, grauesque occurrebãt difficultates, cum intuitu hiberni temporis intẽpestiui, modo gla-

ciem, modo imbrem promittentis, tum verò ob tanta locorũ interualla, in quibus diſpoſita erant præſidia, puta, triginta miliariũ cõmunium, vnde acciendi erant pedites equiteſq;, cum apparatu bellico: quod perquam difficile factu erat, plenũq; periculi, ne hoſtis per exploratores reſciſceret. Tandem ſtatuit quã poſſet celerrimè ſecretòque ex omnibus prę́ſidijs contrahere Gheertruydenbergę ad ſex millia peditum equitũq; vndecimo calend. Februarij, in quem diem Illuſt. Ord. generales indixerant ſolenne Ieiunium per omnes prouincias ſuę ditionis, ad comprecandũ Deum omnipotentem implorandamq; ipſius opem atq; clementiã diſſipandis hoſtium conatibus, proſperandiſque conſilijs ac cœptis Principis Mauritij: qui uſu edoctus quantum interſit per te ne an per alium ardua belli adminiſtres, decreuit ipſe Geertruydenbergã venire prę́cisè die conſtituto, rebuſque gerendis prę́eſſe. Propoſitum erat poſtero die cum equitatu atq; peditatu, nec non duobus tormentis maioribus, duobuſq; cãpeſtribus ſummis itineribus interdiu noctuque tendere ad hoſtem, primoq; diluculo fauore Dei ac virtute militum ſuorum de improuiſo caſtra adoriri, atque expugnare, hoſtẽq; cę́dere ac fugare. Hoc conſilio deceſſit Hagâ quondã Regiâ Comitum Hollandię duodecimo calend. Februarij, comitatus prę́ter domeſticos atque ordinarios, generoſis viris Georgio Comite Solmenſi, & Franciſco Veer Anglorum auxiliariorũ prę́fecto, venitq; poſtridie Geertruydenbergam, quò ſecundo aduerſoq; flumine appulerunt intra duarum prope horarum ſpatiũ ſingulari nimirum prouiſione ac directione Dei Opt. Max. ſupra centum quinquaginta naues onerarię cum militibus & cõmeatu. Eodemq; die ac loco pari promptitudine & diligentia, pro egregia ac conſtanti ipſius in Rempub. atq; Excellentiã ſuam voluntate, rogatu Excell. ſuæ ſeſe ſtitit generoſus vir Robertus Sidnę́us, prę́fectus ciuitatis Fliſſingæ in Zelandia, nomine Sereniſſ. Reginę Anglię, cum manu lectiſſimorum militum Anglicanorũ amplius trecentorũ. Sed & Vicarius prę́fecti oppidi Brielenſis pari ſtudio ac diligentia eôdem miſit ad diem condictum, ducentos Anglicę nationis milites egregios. Generoſus Comes ab Hohenlo legatus generalis paulò ante aſſenſu Ord. generaliũ ſuęq; Excell. cõſtituerat proficiſci in Germaniam, ob quædã priuata ipſius negotia,

tia, paucosque dies remoratus per aëris intemperiem ac varietatē, cum venisset ad extrema pręsidia atq; limites Prouinciarū unitarū, factus est certior, mandato suę Excel. summa celeritate cogi equitem peditemque circa Gorcomium ad diem 12. calend. Februarij. Hinc, qua est summâ prudentiâ atque experientia in rebus bellicis, peritiaq; locorum ac regionum, facile iudicans istam militum contractionē non fieri hoc anni tempore, media hieme, nisi magna ac necessaria de causa, posthabitis priuatis negocijs, dilatâque profectione, pro solita ac perspecta ipsius in Rempub. voluntate, fide, animiq; magnitudine, huic expeditioni omnino interesse voluit. Ergo rebus omnibus pręstituto die Geertruydenbergę bene paratis ac compositis, Excell. sua in posterum diem profectionem edicit, iamque accincto itineri, literę afferuntur à Concilio status unitarum Prouinciarum, quibus rogabatur ne personam suā objiceret periculo: ad quę paucis respondit; se rectà petere Tournhoutum, vt ibi, cum Deo, hostem assequeretur, tendens continuè interdiu ac noctu, ita vt nòcte intempesta perveniret ad pagum quendam nomine Rauels, vno non amplius miliari distantem a Tournhouto: hic iussit militem paululum quiescere, corporaque curare dū postremos opperirentur, qui ad galliciniū ōnes ibi convenerunt. Comes Varaxius dux hostium exercitus, vt per exploratores cognouit de aduentu Principis Mauritij cū copijs ac machinis bellicis, consilio habito cum Tribunis & Centurionibus, parum in rem atque existimationem suam consuluisse videtur. Nam pro eo quod vel castra munire, ibidemque militē continere debuerat, vel pręoccupato loco ad pugnam idoneo, cum copijs suis integris ac recentibus pugnare aduersus hostes, ex labore tāti tamque incōmodi itineris cœnosos, madidos, valdeq; defatigatos, id quod multo tutius honestiusque videri debuit duci inter præcipuos habito, pręsertim cum nec numero militū multo esset inferior, ipsiusq; peditatus atque equitatus fortitudine, audaciâq; nullis cederent eorum qui sub Rege Hispaniarum stipendia merebant: tamen improuiso aduentu ipsius Excell. ita fuit perterritus, vt sub conticinium desertis castris, nullo neq; tubę neq; tympani signo aliove strepitu edito, cessim contenderit ad oppidū Herentals, in quo erat Hispanorum præsidium quatuor inde miliaria dis-

situm, sibi suisque id saluti futurum ratus. Princeps verò Mauritius cum diluculo venisset Tournhoutum, cognouissetq; hostem inde cessisse, officij duxit ipsum consequi cũ equitatu, imperatq; vt peditatus omnis quantum eniti possent, subsequeretur. Ad mille circiter passus vltra Tournhoutum catervæ peditatus hostiũ fauore cuiusdam siluæ tuebantur ponticulum angustum ex asseribus factum supra amnem paruulum, cuius vadum longo ambitu non nisi à singulis equitibus transiri poterat, non minore quoque peditum incommodo propter ponticuli angustias, hunc Princeps confestim capi, hostemque inde deturbari mandat Domino Frãcisco Veer ac Nicolao vander Aa Vicario Præfecti stipatorum ipsius cum ducentis Scopletarijs grauioribus, quos vulgo musquettieros vocãt, qui nullo negocio hostem inde abigunt, capiuntq; ponticulum, perquem Princeps Mauritius cum equitatu hostium vestigijs insistens ipsos assequitur in quâdã planicie vno abs Tourhouto miliari, incedentes hoc ordine, centum passibus intersingula agmina siue regimenta interiectis, primi tendebant Germani, deinde Regimentum Hachicourtij, tertio Barlotti, vltimo Neapolitani, dextrum ipsorũ latus tegebat equitatus partitus in tres Turmas, sinistrum silua supradicta, impedimenta præmissa erant. Princeps Mauritius, qui tergo hostiũ imminebat, cum Comitem ab Hohenlo præmissum cũ dimidia parte equitatus diuisi vtrinq; in sex turmas, videret eò progressum vt in latera peditatus hostiũ incurrere posset quemadmodum imperatum erat, negotium dat domino Francisco Veer, cui se adiunxit dominus præfectus Flissingæ, vt cum parte equitatus impetum faceret in tergum hostiũ, ipse cum reliquo equitatu substitit, intentus in omnem euentum vt suis laborantibus si qua opus esset subveniret: His ita constitutis vno eodemq; temporis momento Cõmes ab Hohenlo cum Comite Solmensi in hostium latus, alij in tergum hostium tanto impetu, ardore, ac vi equos immittunt vt ordines turbarint ac perruperint, inde eques hostium in fugam versus, cędesq; passim fieri eorum quibus in pedibus nihil fuit pręsidij, ibi compertum fuit peditum hastas nihil valere aduersus vim paruorum tormentorum quos militari vocabulo Carabinos appellant, quibus hoc pręlio pro Lanceis vsi sunt equites Mauritiani. Cæsa sunt in acie

duo

duo amplius hominū millia, & in his ipſe dux Comes Varaxius. Capti plures quam quadringenti, inter quos ſunt primę notę aliquot Centuriones. Ad fidem inſignis victorię, magnęq; cladis Hiſpano illatę conſtat Principem Mauritium ex hoſtibus reportaſſe triginta ſeptem ſigna peditum & vnum vexillum equitum. In hac pugnâ egregiam ſtrenuamq; Reipub. operam nauarunt in primis Comes ab Hohenlo Legatus generalis, Comeſq; Solmenſis Germani: nec non ſupradicti generoſi viri Robertus Sidnęus, & Franciſcus Veer Angli. Sed & generatim omnes pręfecti equiteſque ac pedites qui interfuerunt conflictui, fortiter ac ſtrenuè ęgerunt, ſuam pro ſalute Reipub. ac ſuæ Excel. obſequio promptam voluntatem evidenter hoc prelio teſtati. Verum enimvero miſericors ille Deus in tota hac expeditione manifeſte declarauit ſe preces ſuorum exaudiuiſſe, hoſtium conſilia diſſipaſſe, Excel. ſuę cęptis adſpiraſſe, animum, arma, manus ipſius, ſuorumq; militum confirmaſſe, ad nominis ſui gloriam, protectionem regionum, oppidorum, incolarum Prouinciarū confœderatarum, cōfuſionemq; ſuperborum ambitioſorum ac Tyrannicorum conatuum hoſtiū veritatis ipſius, cui ſit laus & gloria in ſempiternū. Poſt claram hanc victoriam modico ſuorum militum ſanguine partam, Tournhoutum rediit Princeps Mauritius, vbi machinas bellicas cum parte peditatus reliquerat, arcemque concuſſam duodecim ad ſummum ictibus tormentorum, accepit a pręſidiariis per deditionem, pactis vitę rerumque ſuarum incolumitatem, in quo fides ipſis ſeruata eſt. Hinc dimiſſæ ſunt Copiæ in ſua quęque hiberna, Princepſque reuerſus eſt Hagam-Comitis octauo die poſtquam inde diſceſſerat. Ex huius expeditionis mirabili directione ac ſucceſſu certo ſtatui poteſt, Deo Omnipotenti cordi eſſe fœdus illud ſuperioribus menſibus ictum inter Regem Galliarum, Reginam Angliæ & præfatos Ordin. Generales, ad quod ſeſe adiuncturos eſſe omnes Reges, Principes & Reſpub. nominis Chriſtiani, credibile eſt, nec non reliquas Provincias Belgij cum oppidis, ciuibus, Incolis, qui tantum non tremunt ac gemunt ſub intoleranda

Tyran-

Tyrannide, importunáque dominatione Hispanorum, quibus provincijs adhuc liberum ac solutum est siue generaliter, siue particulariter sese conciliare & consociare cum prędictis Ord. generalibus, eâque ratione compotibus fieri dicti fœderis. Sperandū est etiam, si Rex Galliarum, Regina Anglię & Ord. generales a sua quiq; parte adnitantur, atq; pro viribus insistant huic pręclarę victoriæ, futurum propediem vt vel optatus huius diuturni belli exitus subsequatur, vel bellū ipsum diuertatur ac transferatur in Hispanias magna cum tranquillitate ac securitate Regnorum Frācię, Angliæ, Scotiæ, Danię, Svvedię, & precipuè superioris & inferioris Germanię, qui per latus Prouinciarum vnitarum vniuersaliter petuntur atque oppugnantur ab insatiabili ambitione Hispanorū, atque adeo animo, spe, opinione iamdudū deuorati subiugatiq; sunt. Hic primus est belli actus, cœptus ab hac parte post initam præfatā confœderationem, & primitiæ primi Mensis huius Anni. Nostri officij est Deum enixè ac continenter orare pro continuatione clementię ac fauoris ipsius in reliquum huius anni tempus annosq; subsequentes, vt omnia cedant ad nominis sui gloriam & Reipublicę Christianę incrementum atque conseruationem.

